



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 2. Quinam ludi sunt prohibiti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

æqualitas moralis quoad omnes in spe lucrandi, & periculo perdendi: nam hæc requiritur ad justitiam hujus contractûs, qui est utrimque onerosus: quippe in eo emittitur spes lucrandi periculo perdendi.

Q. 2. *Quinam ludi sunt prohibiti?*

Resp. Jure divino naturali prohibiti sunt ludi ex se mali, ac turpes, indecori, & ad luxuriam provocantes; vel qui sunt occasio proxima peccati, aut aliis scandalum. Jure autem humano tam Civili quam Canonico prohibitus est omnibus etiam Laicis ludus saltem frequens aleæ, l. 1. & 2. Cod. de aleator. & cap. Episcopus. dist. 35. ex Canon. Apostolorum, ibi: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem privetur. Similiter etiam Laicus.* Ratio prohibitionis est periculum, & occasio multorum peccatorum, & malorum, ut iræ, rixarum, litium, blasphemiarum, perjurii, jacturæ temporis, neglectûs officiorum debitorum, everisionis fortunarum, &c. Ludus autem aleæ est ille, cujus successus unicè, vel magis ex fortuna, seu casu, quam ex industria pendet, ut ludus taxillorum, & chartarum. Nomine autem fortunæ, ac casûs intelligi debet dispositio providentiæ divinæ præter certam aliquam spem, & opinionem humanam à sola Dei voluntate pendens.

Hinc

Hinc, ut patet ex poena gravi appofita, peccat mortaliter, qui aleæ defervit, hoc est, qui tali ludo crebrò, & per longum tempus lucri causâ ludit. *Ludus aleæ est peccatum mortale secundum Raymundum, quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum: nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale.* ait S. Antonin. 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 8. Imò secluso jure positivo sæpe est mortalis aleæ ludus ratione multarum circumstantiarum, ut docet Toletus, post S. Chrysoft. qui Homil. 15. ad popul. ait: *Aleas tractare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre... Circa aleas studium, blasphemias, jacturas, iras, convitia, infinitaque alia bis graviora sæpe produxit.*

Hinc etiam graviter peccant, qui aleatoribus domum suam ad ludendum commodant: quia occasionem, & commoditatem graviter peccandi aliis præbent; idque jure Cæsareo, & Francico prohibetur. His ergo deneganda est absolutio, nisi resipuerint, ut monet S. Carolus.

**Q. 3.** *Quandonam committitur peccatum mortale in ludo?*

*Resp.* Ex communi his casibus 1. Si ludus sit per se graviter illicitus, ac turpis, vel solo jure posi-